

similitudinem appellationis *arg. l. 6. pr. C. de appell.* II. Domini Reuifores, tanquam Iudices ad quos, licet diuerso plane modo quam in appellatione, quemadmodum ex Formalibus huius Remedii patebit. III. Considerandus est ille qui Reuifionem petit et IV. is contra quem hoc remedium intentatur, quem communi nomine aduersarium voco *l. 3. ff. de A. et R. in appellatione hic vocatur appellatus. c. 26. c. 44. X. de appell.* Is appellans, prouocans *l. 6. l. 13. pr. ff. de App. et rel. l. 1. pr. ff. de appell. recip.*

§. II.

Quod primum attinet, Iudex est caput Iudicii Cameralis *Ordin. Cam. p. 1. t. 9.* a solo Imperatore ad id constitutus, vt in supremo Imperii tribunali omnia iuxta praescriptas leges fiant et suum cuique tribuatur. Hinc illi soli supplicationes exhibentur et in his ipsius solum nomen exprimitur, si Princeps secularis hac forma: *Durchlauchtigster Fürst, Römischer Keyserlicher Majest. Cammer-Richter, gnädigster Herr &c.* Si Ecclesiasticus, Comes aut Baro aliter pro forma stili ac consuetudinis forensis. Mandata tamen, sententiae et Decreta non eius sed nomine et sigillo Caesareae Maiestatis emittuntur *Ordin. Cam. p. 1. tit. 9. PETR. DENAIS. in iure Cam. tit. 2. p. 25. §. 4.*

§. III.

Huic Iudici incumbit relationes et vota Assessorum diligenter perpendere et operam dare, vt omnia in iudicio decenter et secundum ordinem fiant. Hinc quotiescunque sententia cameralis per hoc remedium impugnatur, semper eius praeiudicium vertitur, sine eo enim in votis non concluditur nec sententia fertur, nisi forte absens aut morbo alioque legitimo impedimento fuerit impeditus et hoc casu officium suum consensu et autoritate Assessorum, Comiti aut Baroni qui et ipse in numero Assessorum sit, aut si Comes aut Baro haberi non possit, alii Assessori ab Ecclesiastico vel seculari aliquo Electore praesentato demandare potest. In Causis tamen Electorum et Principum Iudex Camerae ipse in persona vel eo absente Comes aut Baro iudicio praeesse sententiaeque concipiendae interesse debet: Et si forte Comes aut Baro non inueniatur in
Collegio